



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

9 An renunciari possit ab aliquo, vt secum hic ordo seruetur, quando alias
ex praeepto diuino seruandus erat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

domino subordinatæ, & sub illius cura. Quod verò dicit Villalobos debere dominum à suo seruitio famulum expellere, si videat domi occasionem habere peccandi, laudo si faciat, obligationem tamen non agnosco, præcipue si domino vilis sit famulus, quia non tenetur occasionem peccatorum cum suo damno remouere, & fortè expulsiu liberius peccabit: & ita tenet Arag. 2.2. quæst. 33. art. 4. ad finem.

9 Quod si de personis corrigendis loquamur, omnes tam fideles, quam infideles sunt corrigendi: Nam licet infideles non sint fratres per gratiam, sunt tamen per naturam, & cuiuslibet incumbit onus eorum salutem procurandi. Ita omnes Catholici.

10 Difficultas est de Prælati, an sint à subditis corrigendi? Et quidem debere corrigi, si delinquant, est expressa decisio Gregorij in cap. sicut 2. quæst. 7. ubi sicut laudabile, & discretum est reuerentiam, & honorem exhibere maioribus: ita rectitudinis, & Dei timoris est, si quæ in eis sunt, quæ indigent correctione nulla dissimulatione postponere; cum & proximi sint, & arctius tenemur eos diligere. Aduertendum tamen est hanc correctionem faciendam esse cum magna prudentia, & humilitate, & potius obsecrando, quam increpando. Aliàs nullius effectus erit. Itemque secretò, & non publicè; ex decreto Innocentij III. ex cap. cum ex iniuncto, de hereticis & facit ad id cap. sententia, cap. qualis. 2. quæst. 7. Quod intelligi debet, tunc enim publicè argui debent, etiam si nulla speretur emendatio. Deinde captari debent tempora, quibus eruduntur magis esse dispositi: & generaliter in hac correctione summa prudentia opus est: & in iis Doctores conueniunt cum D. Th. 2. 2. quæst. 15. art. 4. Valent. ibi disput. 3. quæst. 10. part. 4. Bannes & Caletanus ibi Torres disput. 88. dub. 1. Lorca disput. 43. Egidius de Coninch. disput. 28. dub. 4. art. 1. num. 52.

PUNCTUM VIII.

An ordo correctionis fraternæ assignatus à Christo Domino, Matth. 28. sit in præcepto?

- 1 Quis sit ordo correctionis à Christo constitutus.
- 2 Ad quem finem est inductio testium.
- 3 Seruandus est hic ordo, quando adsunt aliquæ circumstantiæ.
- 4 In hoc ordine non constituit Christus nouum præceptum, sed præceptum naturale correctionis declarauit.
- 5 Satisfit quibusdam obiectionibus.

1 Ordo correctionis consistit primò, vt peccantem admones secretò, & absque vilo teste, iuxta illud. si peccauerit in te id est, te sciente corripit inter te ipsum solum. Quod si te non audierit induces testes, unum, vel duos: si illos non audierit, dices Ecclesie: si Ecclesiam non audierit tibi sicut ethnicus, & publicanus.

2 Testes inducis, vt te adiuent in correctione delinquentis, fortè enim peccator est te contempserit, testes reuerentur. Quapropter solum sunt inducendi, quando certò ex eorum inductione speretur utilitas delinquentis, vt bene aduertit Lorca 2. 2. quæst. 33. art. 8. disp. 46. num. 20. Quod si delictum testibus est notum, aut talis naturæ, vt possis Prælato denunciare, i inducis testes, vt testificentur te satisfacisse officio, & obligationi corrigendi secretò, ne postea ob non præmissam correctionem à denunciatione facienda repellaris, iuxta, cap. cum dilectus, de accusacionibus: & tradit Chryostomus hom. 61. in Matth. & ex Hieron. & August. Valent. disp. 3. quæst. 10. part. 5. §. possit enim, pag. 683. Nunquam tamen inducuntur, vt testes in iudicio possint esse; quia hoc est extra finem correctionis fraternæ, & daretur occasio proximo negandi delictum, neque admittendi correctionem, si intelligeret testes in iudicio contra illum esse deposituros. Quare cum Christus dicit, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, idè dixit, quia in ore duorum, vel trium facilius persuadetur correptus id quod agit & malum esse, & emendatione dignum. Facta inductione testium, si adhuc delinquent non corrigatur, dicendum est Ecclesie, hoc est, Prælato, & superiori, qui nomine Ecclesie intelligitur, vt infra dicemus.

3 Non deserunt Doctores, qui saltem tanquam probabile defendunt supra dictum ordinem non esse sub præcepto seruandum, sed solum sub consilio: ita Bernardin. de Areualo tract. de correct. fraternæ, & Salmer. tom. 4. in Euangel. part. 3. tract. 11. qui varias rationes, & testimonia adducunt ad hanc probabilitatem aduertendam: sed omnes illæ solum probant hunc ordinem non esse semper seruandum, sed debitis temporibus, & circumstantiis, quando scilicet est secretum delictum, & per correctionem secretam sufficienter emendandum præsumitur, neque alia ratio, boni communi, aut cessio iuris cogit illum omittere: sic Lorca 2. 2. quæst. 33. art. 8. disp. 46. sect. 3. membr. 2. artic. num. 26. Torres disput. 89. dub. 2. concl. 2. ep. 3. Bannes art. 8. dub. 2. concl. 4. Valent. disput. 3. quæst. 10. part. 5. corrum est pag. 676. Villalobos tract. 4. disp. 9. Egidius de Coninch. disp. 28. dub. 8. num. 138. Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 7. §. num. 10.

4 Quare pro certo tenendum est cum supradictis Doctori-

bus, & aliis pluribus, quos ipsi referunt, Christum Dominum in supradicto loco Matth. & tradidisse præceptum correctionis, & declarasse modum, quo debet fieri. Non quia nouum aliquod præceptum tulit, quod ex ipsa lege naturæ non oriatur, sed quia præceptum à lege naturæ obsecutus tradidit clarius explicuit, ipsa enim natura dicitur corrigendum esse proximum cum minori damno famæ, & honoris, quo fieri possit, ac proinde si absque testium inductione corrigi potest, ipsa natura dicit, vt corrigatur, & si solum vnicus testis sufficit, vt quid duo sunt adducendi: & si iis adductis emendatur, quare Ecclesie denunciandum est. Est ergo hic ordo in præcepto. Et ita definitum videtur ab Innocentio III. in capit. Nouit, de iudic. ep. cap. cum ex iniuncto, de hereticis, & ab Alexandro III. in capit. licet Heli, de si monia.

5 Neque obstat verba Christi non videri generalia, cum solum de peccatis, quæ sunt iniuriosa corrigendi loqui videantur, in quibus secreta correctio vix habet locum, sed illa omnia potest ad denunciationem procedi. Non inquam, obstat, nam esto de solis illis peccatis expressè loquatur Christus Dominus, & communi sensu Ecclesie ad omnia alia peccata, quæ proximus committit te sciente, extenduntur: sicuti Matth. 25. Operibus tantum misericordiam promittitur vita æterna, & tamen inde inferunt omnes Patres dereliquis bonis operibus idem esse dicendum; quia est æqua, vel efficacior ratio: ita in præsent. Si enim in iniuriis propriis, in quibus expecti potest iudicialis satisfactio, potest aliquando, & debet iniuriatus corrigere delinquentem, vt tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. in corp. & Bannes art. 8. dub. 1. §. deinde probatur. Torres disp. 89. circa fin. à fortiori in peccatis aliis poterit, & debet hanc correctionem apponere. Præterea illud in te, non debet explicari contra te, vt communiter sonat, quæ tibi aliquam specialem iniuriam intulisset, sed, vt explicat Lyræ Glossa, Hugo Cardinalis, & Augustinus sermon. 26. de verbis Domini, id, coram te, te sciente, qui enim te sciente peccat, quasi te contemnit, ac proinde in te peccat, hoc contra te; vel dici potest in te peccate, quatenus te ad peccatum incitat, & suo malo exemplo mouet ad peccandum: sic ex Augusto, Aulelmo, Chryostomo, & aliis explicat Lorca disp. 46. membr. 1. num. 12. & optimè Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. c. 7. annot. 12.

PUNCTUM IX.

An renuntiari possit ab aliquo, vt secum hic ordo seruatur, quando aliàs ex præcepto diuino seruandus erat.

- 1 Negatiue aliqui respondent. Et quibus probent.
- 2 Pro certo tenendum est Socijs renuntiari posse.
- 3 Satisfit rationibus contrariis.
- 4 Nemini licitum est impugnare qualibet questio colore hanc iuris consuetudinem.
- 5 Propositur quedam obiectio, an ex cessione iuris manifestari possint delicta superiorum, quæ aliàs ex charitate manifestari non poterant.
- 6 Satisfit supradictæ obiectioni.
- 7 Religiosi Societatis lesæ cedunt iuri in ordine ad correctiorem fraternam non iudicalem.

1 Philarcus de officio Sacerdotis tom. 3. part. 1. lib. 4. cap. 14. statim in princip. & Lorca 2. 2. quæst. 33. art. 8. disputat. 47. numer. 13. acriter defendunt hoc ius renuntiari non posse, primò. Nam esto quilibet dominus sit propriæ famæ, ac proinde ob aliquem honestum finem pati possit in illa detrimentum. At præceptum diuinum de ordine in correctione seruando non solum attendit famam proximi, vt quam minus fieri possit laedatur, sed præcipue attendit bonum ipsius correctionis, vt melius, & congruentius fiat, & pacem, & quietem communiam, & euitationem rixarum, & aliorum defectuum, quæ ex manifestatione oculorum oriri possunt: cui iuri non videtur posse cedere quilibet priuatus. Secundo sæpè Prælati erit minus apud ad corrigendum alio particulari; tum quia gratus non est delinquenti, tum ob eius imperitiam, & fortè prauum affectum. Ergo in tali casu non esset licitum omnia priuata correctione vili ad denunciationem inutilem deuenire. Ergo in hoc casu non potuit subditus renunciare ius quod habet de secreta sibi notificatione faciendi; aliàs esset renunciatio prodiga famæ, & perniciosa. Cum autem in qualibet religione plures esse possint Prælati inefficaces in corrigendis secretis aliquorum culpæ, quam alij particulares, effecti videntur non posse generatim hoc ius renuntiari.

2 Nihilominus certa sententia est posse quemlibet, & totam aliquam communiatem (vt facit sanctissima religio Societatis Iesu) renunciare iuri, quod habet, vt sibi peccata secretò corrigantur, antequam ad Prælatum deferantur, ipse defertens nullius culpe reus sit, etiam si correctionem non præmiserit: ita docuit Thomas Sanchez lib. 6. summ. cap. 18. Valentia 2. 2. disp. 3. quæst. 10. part. 5. pag. 678. §. quintus casus. Torres de charitate, quæst. 33. articulo 7. dispositione 89. dubio 4. circa finem Suarez disput. 8.

disput. 8. de charit. sect. 6. num. 12. & n. 17. & tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 7. num. 28. Ribadeneira de Instituto Societatis, c. 34. Agidius de Coniuch. 2. 2. disput. 28. dub. 11. num. 297. Alphonsus Rodrig. tom. 3. in lib. de spirituali. lib. 2. de correct. fraternae, tract. 8. Cantrelus in preceptis Decalogi. lib. 2. cap. 69. num. 211. Ioannes Cantrelus disp. 46. sect. 2. num. 28. Petrus de Ledema sum. 2. to. 11. 4. cap. 4. post conclus. 24. difficult. 6. pag. 291. Bannes 2. 2. quest. 33. art. 8. dub. 2. in respons. ad 2. part. priora confirmat. 7. argum. versum ad aliud. Ij tamen Doctores, Ledema, & Bannes addunt sibi maxime dubium esse, an conueniens sit talem renunciationem ab aliqua tora communitate fieri; quia & executio est difficilis, & subditi turbati possunt scientes suos defectus occultos Praelato manifestari: sed hac inconuenientia, & rationes nullius sunt momenti, vt recte expendit Valent. Torres, Agidius, & Suarez supra.

Ratio praecipua huius conclusionis est. Quilibet potest ob honestos fines detrimentum in fama, & honore pati, (vt ex communi sententia suppono) etiam dominus non sit fame propriae, & honoris. Ergo potest renunciare ius quod habet, vt sibi fama integra conseruetur in correctione ob honestos fines, quales sunt maior spiritualis correctioe profectus; & maiorque securitas a reciduo, submissio, & humilitas propria, integritas communitatis. Negari enim non potest religiosorum maioris circumspicione procelluros, si sciant peccata propria oculata a quolibet secrete extra confessionem, vel gratia petendi auxilium, esse subreptibus manifestanda, omnia correctione securiores esse a reciduo, & communitatem magis indemnem seruari. Ergo ob humiliori honestos fines possunt famam detrimentum pati. Confirmo. Si proximus ob fines supradictos manifestaret proprium peccatum Praelato, nonne laudandus esset? Ergo etiam ex contentu ipsius eius peccatum superiori manifestes ob supradictos fines, opus laudabile facies. Tandem si proximus iam famam apud Praelatum amisisset recte posses cum illo agere de eius peccato, si in tali tractatione operaris ex bono fine. Ergo idem videtur dicendum, quando ipse proximus non vult seruire suam famam apud Praelatum, sed iusta de causa tibi facit potestatem eius.

Ad primum argumentum contrarium admitto finem praecipui non solum esse conseruationem fame correcti, sed bonum ipsius correctionis, & pacem, & quietem communitatem. At hic finis obtinetur, quando ex voluntate ipsius correcti delictum superiori manifestas; sicut obtinetur finis praecipui seruandis sigilli in confessione, qui est non solum conseruare famam proximi (illas, & bene dicit Thomas Sanchez, ob bonum commune rumpi possit) sed est facilitas ipsius sacramenti, & rictus illius vius, qui obtinetur, vel vt melius dicam, nullo modo laeditur, quando ex voluntate penitentis culpa manifestatur. Ad secundum respondeo, cessione iuris factam a subditi religiosi Societatis Iesu esse prudentem, & non temerariam; ac proinde est generatim fiat, subintelligitur fieri seruatore sine praecipuo correctionis, qui est correctio, & emendatio delicti, quem finem sit certum per Praelatum non esse obtinendum vel non esse obtinendum ita bene, ac per inferiorem, vel de illo dubium est (quod raro contingere potest, praecipue in nostra Societate, & vbi superiores tot informationibus de vita, & moribus factis apponuntur nequaquam tunc conseruet quis cedere iuri conseruandae fame; ita tenet cum Abulen. cap. 18. in March. quest. 98. ad fin. Thomas Sanchez lib. 6. sum. cap. 18. num. 47. Idemque colligitur ex Valent. Suarez, & Torres supra. Semper enim supponunt melius a Praelato subditum esse corrigendum, & praeuendum a reciduo, quam ab alio subdito, cui facile potest esse emendatum simulare. Quapropter concludit Torres dub. illo 4. §. addendum, tunc posse fieri denunciationem Praelato vt patri, quando habet mutuum odium contra subditum, & talis est, qui ex affectu vere paterno inferiori suo delinquenti tanquam dilecto filio curabit remedium afferre: qui etiam tenax sit secretis; & de fama subditi cutam habeat iuxta doctrinam S. Thom. quodlib. 11. art. 13.

Ex dictis inferitur nemini licere hanc nostram regulam de cessione iuris, & manifestatione delicti, quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandae quaesito colore directe, vel indirecte, impugquare, aut coneradicere. Tum quia a Paulo III. & Iulio III. nostram institutum fuit approbatum, & confirmatum, & in eo omnes eius constitutiones, praecipue quae contradictione patribantur. Tj quia Greg. XIII. in sua bulla, quae incipit, Ascendente Domino, prohibet sub poena excommunicationis hanc impugnationem nostri instituti, ac cuiuscunque constitutionis, vt constat ex illius verbis, quae ad longum refert, Petrus de Ribadeneira libro 3. vita S. Patris nostri Ignarij, cap. 23. Tum quia de facto idem Gregorius damnauit libellum cuiusdam, qui hanc nostram regulam, & constitutionem impugnavit, vt testatur Turrianus 2. 2. disp. 89. dub. 5. Alphonsus Rodrig. in exercitio perfect. 3. part. tract. 8. cap. 6. Agidius de Coniuch. disp. 28. dub. 12. num. 1. in fine. Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. num. 1. in fine. Neque obstat constitutionem Carthusianam de non comedendis caribus in periculo vitae, a multis impugnatam, tamen a Sede Apostolica confirmata sit. Ergo etiam nostra constitutio confirmata sit a Sede Apostolica, impuguari poterit. Non, inquam, obstat, quia illa constitutio Carthusianorum non est expressa a Sede Apostolica.

Ford. de Castro sum. Mor. Part. 1.

approbata, & confirmata. Nam quando Carthusianorum institutum confirmatum fuit ab Alexandro III. & Celestino III. non erat illa constitutio sancita; vt testatur Petrus Suror. lib. 2. tractat. 3. cap. 8. fuit enim hac sancita anno Domini, 1294. in capitulo quodam generali ferre centesimo anno post ordinis institutionem, & approbationem: At nostra constitutio erat sancita, & satis conuicta, cum institutum nostrum a Iulio III. & Gregor. XII. approbatum fuit. Tum quia Gregor. XII. & Iulius III. non solum nostrum institutum vtcumque approbarent, sed etiam omnes illius constitutiones, articulos &c. Quae tam exacta approbatio in Carthusianorum instituto non reperitur. Tum denique quia Pontifex prohibet de hac, & de qualibet constitutione sub praetextu disputationis quomodolibet impugquare, quae prohibitio non est facta in constitutione Carthusianorum.

Aduersus supradicta obici potest sequi ex cessione iuris facta in Societate Iesu non dare aliis potestatem specialem manifestandi delicta superiori, quae ex ipsa correctionis natura non habetur, ac proinde nemini cedere, vt sua delicta superiori manifestentur, si ex praecipuo diuino manifestari non poterant. Sequelam proba. Quando melius per correctionem fecerant intelligitur emendandus frater, quam per correctionem superioris, vel de hoc dubium est, non intelligitur frater cessisse secretae correctioni fraternae, quia esset iniqua cessione, & contra charitatem, & bonum proprium. Quando vero melius per Praelatum intelligeretur corrigendus, posses omnia correctione secreta delicta Praelato manifestare, etiam si ipse iuri non cessisset, vt affirmat Ricardus in 4. distinct. 19. quest. 1. art. 4. & Suarez de charitate, disput. 8. sect. 6. num. 17. & tom. 4. de relig. lib. 20. cap. 9. & 10. per totum quia laeso honoris, & fame proximi ex delatione ad superiorem contingens, abunde compensatur maiori fructu, & spirituali proximi profectu. Quando aequo bene per secretam correctionem, nullo modo peccator cenetur cedere iuri conseruandae fame, quia in tantum cedit, in quantum ad sui profectum, & emendationem delicti necessaria est, & expediens: non autem est necessaria, neque expediens talis manifestatio, si aequo bene per secretam correctionem, ac per Praelatum omnis fructus, & iuris det aliis facultatem manifestandi delicta superiori, si ex ipsa correctionis natura illam non habent.

Eateor equidem cessionem iuris non dare aliis potestatem manifestandi delicta, quae manifestari non possent, cessione iuris non obstante, nisi in casu dubio de emendatione, vt infra dicemus. At quia sine hac cessione multi Doctores affirmant, vt sequenti puncto videbimus, non posse peccata occulta ad Praelatum vt Patrem deferri, non praemissa secreta correctione, etiam si Praelato maiori cum utilitate, & fructu delinquentem esset correcturus & posita cessione iuris, certius est, & ferre indubitatum posse tunc peccata ad Praelatum, vt Patrem deferri, omnia secreta correctione, quia in illo casu nulla irrogatur peccanti iniuria, cum ex eius voluntate rationabiliter habita ob maiorem fructum, & spiritualem profectum delicta manifestentur. Ideo in religione Societatis Iesu omnibus mandatur hac cessione.

7. Aduertendum tamen est cum Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 12. num. 3. & 35. Thom. Sanchez lib. 6. sum. cap. 18. num. 48. religiosos Societatis Iesu solum cedere, & consentire, vt eorum delicta deferantur Praelato, tanquam patri, non tanquam iudici. Probat Sanchez, quia in dubio praesumitur actus ita gestus, vt sic minus quoad fieri possit onerosius agenti, vt multis probat Menoch. de praesumptio. lib. 6. tota praesumpt. 9. & semper praesumitur gestus eo modo, quo agenti utilior esse possit, tradit Bartol. l. gerit. num. 21. ff. de acquir. hered. Tiraquel. de retractu lignagior. §. 30. glossa 1. num. 34. Menoch. de praesumpt. lib. 3. praesumpt. 156. n. 16. Cum vero in renunciatione religiosorum Societatis tantum fiat mentio de denunciatione faciendae superiori, neque explicetur, an fiat vt patri, vel vt iudici, explicanda est, vt fiat solum vt patri, quia ita utilior, & minus onerosa est renuntianti, faceret reg. 9. & 10. sum. constitutionum Societatis, vbi dicitur, vt debito cum amore, & charitate omnes inuenire se corrigi; non autem esset, vt bene dicit Sanchez) debitus amor, sed summus rigor, si omnia secreta correctione, Praelato vt iudici peccata deferrentur. Item haec renuntiatio fit ad maiorem spiritus profectum, vt constat ex regula dicta, tum ex §. 8. cap. 4. ex amnis tum ex decreto 52. V. I. congregationis, qui finis est prius correctionis fraternae, non iudicialis,

quae proprie punitionem respicit.

FP 2 P V N C T U S